



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 12. Pauli V. Pontificis consilium de ferenda sententia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. ejusd. Mensis habita nonnisi ultro citro-  
A. C. 1606. que allatis Theologorum testimoniis in-  
 fumebatur, perinde acsi de quæstione  
 mere Theologica ageretur, quæ si talis  
 duntaxat fuisset, tam longa ac operosa  
 concertatio plane supervacanea censeretur  
 posset: Nihilominus die prima Mensis  
 Martii resolvit Congregatio, permanendum  
 esse in decisis: obstabat rursus huic  
 judicio Bovius, asserens, quod secus  
 Deus prædeterminaret ad actum peccati.

## §. XII.

*Pauli V. Pontificis consilium de ferenda sententia.*

*Ex Archiv.  
 Rom. Bibl.  
 Angel. Perron.  
 in ep. ad Henric.  
 VIII.*

Perpenſis igitur Conſultorum cenſuris ſummus Pontifex die octava Mensis Martii Congregatione habita Cardinalibus deliberandum proposuit, num e communi bono Ecclesiæ foret, ut Apostolico judicio hæc controversia finiretur? assensere omnes excepto Bellarmino & Perronio, hic ut Henrico IV. ille ut Societati ancillaretur. Ut primum Jesuitis hoc Pontificis consilium innouit, mox omnem movebant lapidem, ut illius successum aut impedirent, aut saltem retardarent, quocirca quatuor vastissimos scriptorum fasciculos, quorum tres jam ante quinquennium Clementi

menti VIII. tradiderant, denuo Paulo V. Sæc. XVII.  
A. C. 1606.  
discutiendos obtulere. Cessit eorum

precibus Pontifex, ne forte se non factis audiri rursus quererentur: Jacobo igitur Bossutio uni ex Consultoribus Doctori Theologo ex Sorbona Parisiensi hæc scripta maturius examinanda commisit, qui prolixa censura demonstratum ibat, quod in hoc scripto Moliniana sententiæ dogma verbis ambiguis, atque in omnem sensum versatilibus expositum sit, econtra Thomistarum doctrina in sensu ab eorum mente remotissimo explicata: cum autem Jesuitæ suam sententiam plurium Theologorum eidem subscribentium, necnon octo Academicarum numero fulcirent, ad hæc reposuit Bossutius, id haud mirum esse, eoquod ea sit erroris indoles, ut serpat velut cancer, multique, qui falsa eorum expositione delusi erant, huic opinioni subscripsissent: has autem Academies, de quarum suffragio Jesuitæ gloriabantur, ipsimet Jesuitæ potissima ex parte moderarentur, Theologicas Cathedras occuparent, ac cuncta pro suo arbitrio regerent, ita, ut potius Jesuitarum Collegia, quam Academicæ nominari possent, ac insuper ex quinquaginta Doctoribus, qui earum iudiciis subscripserant, quadraginta circiter ex eadem Societate, ceteri vero

Sæc. XVII. ejus Discipuli, atque ab eis in hac doctrina imbuti nominarentur, quamvis Jesuitæ, ne eorum testimonia suspecta viderentur, studiose instituti Jesuitici nomen reticuisissent: Scripta hac censura Bossutius hæc subjunxit: *Beatissime Pater, hæc sunt, quæ mihi visa sunt observanda in scripturis PP. Societatis, quas vestra Sanctitas voluit a nobis examinari: video, tenui meo judicio, non agi apud Vestram Sanctitatem ea fide & candore animi, quem res tam seria, & Sanctitatis vestrae veneratio postularet.*

## §. XIII.

*Actum de delineando definitionis diplomate.*

*Act. Secret. Hist. Congr. l. 4. c. 14. l. 5. sect. 7. c. 4.* Die nona Martii summus Pontifex accersitis iis, qui Congregationi a secretis erant, injunxit, ut succinctam, claramque censurarum omnium summam edi curarent, in qua proscripti errores Pontificio diplomate postea damnandi notarentur: Præterea præcepit, ut Consultores separatim, nulla inter se habita consultatione, tria hæc scriptis mandarent. I. Quid fide tenendum sit, quidve damnandum, quave ratione &c. II. Qua parte ab hæreticis Catholici differant. III. Quis modus in edendo Pontificio diplomate servari posset? Cum autem